

sem, si ita Patribus libuisset, ad urbem venturum diceret. Annente Senatu, Henricus Venetas accessit, secretiusque Collegium adiens, singulari, inquit, qua Venetam Rempubli-
cam benevolentia prosequeretur adductum, ad Principem, Pa-
tresque consalutandos venisse; alteri negotii pertractandi mu-
nus deferre noluisse. Adjecit, se bellicæ virtutis gloria inflam-
matum, Principi alicui militare statuisse; secum multa repu-
tantem, cui suam operam dignius deferret, praeter Venetam
Rempublicam, quæ multis nominibus Principes viros ad se
alliceret, neminem invenisse; amplas sibi ditiones, multos ami-
cos, complures clientelas esse; quatuor equitum, viginti pedi-
tum millia, quæ stipendia Reipublicæ facerent, paucorum die-
rum spatio, transitu per suos fines a Romanorum Rege impe-
trato, in ejus ditiones ducturum; ni petere Senatus velit, tot
illi amicitias in Helvetiis, ac Rhætis esse, ut nullo negotio
per eorum ditiones se se in Venetorum fines illaturum policea-
tur: bellicam disciplinam usu edictum, cum bello, quo supe-
rioribus annis Germania exarserat, interfuisset, plura gessi-
set, ex quibus baud vulgarem militarium rerum disciplinam
comparasset: ubicumque visum Senatui esset, atque etiam in
Venetis ditionibus commoraturum. Iis, quæ a Brunsuicensi
proponebantur, discussis, ita respondendum Senatus censuit:
*Cum Respublica per multos annos pacem cum omnibus Prin-
cipibus colat, eamque diuturnam fore speret; nullam cur ar-
ma pararet causam esse: que Henricus prompto adeo, eximio-
que animo Senatui detulisset, ea perenni, grataque memoria
prosecuturum.* Duci in urbe moranti publicæ munificentiaæ,
& liberalitatis officia delata, victus ex publico ærario tributus,
mille nummi aurei dono dati. Erat sane Henricus vel nobili-
tate, quod ex Saxonum familia ortus esset, vel viribus sum-
mi inter Germanos Principes nominis; nam Saxonia in media
multas ditiones obtinebat: Brunsuicum inter eas urbs præci-
pua est, incolarum frequentia, ac divitiis potens, præcipue
vero sale dives, qui ex puteorum limpidissimis aquis confici-
tur; atque ex ea regione, quæ Duci parebat, quatuor equi-
tum, quatuordecim peditum millia colligi poterant. Post an-
num, quo Marcus Antonius Trivisanus principatum gesserat,
pridie kal. junias, cum de more summo mane una cum Pa-

1554
Henricus
Brunsui-
censis
Dux Vene-
tis in re mi-
litari suam
operam de-
fert.

*Senatus re-
sponsu.*

*Marcii An-
tonii Trivi-
sani Prince-
pis obitus.*